Dissertatio medica, inauguralis, de ictero ... / Eruditorum examini subjicit Gulielmus Chambers Darling.

Contributors

Darling, William Chambers, 1771-1832.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Gulielmi Creech, 1795.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/krhbcfp6

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS CHAMBERS DARLING,

ANGLUS.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GULIELMI CREECH.

M DCC XCV.

350337

LIBRARY
INSTITUTE

QUAM varia quam multiplex sit Icteri idea,—et quod idem nomine morbus, a diversissimis producatur causis; quarum tamen cognitio accurata tantam lucem affert curationi instituendae; uti et ad formandam prognosin circa facilem vel difficilem, possibilem vel impossibilem, Icteri sanationem.

VAN SWIETEN.

PATRI SUO

OPTIMO BENIGNISSIMOQUE,

RALPHO DARLING,

ARMIGERO,

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

OBEDIENTIÆ MONUMENTUM

AMORISQUE PIGNUS,

D. D. C.

GULIELMUS CHAMBERS DARLING.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

AUCTORE G. C. DARLING.

DEFINITIO.

"FLAVEDO cutis et oculorum; faeces al-
" bidae; urina obſcurè rubra; immiſ-
" ſa colore luteo tingens."

HISTORIA MORBI.

ICTERUS omnem aetatem atque temperamentum adoritur. Invadit ut plurimum languore,

laſſitudine, anorexia et nauſea: Spiritus difficilior, et in regione epigaſtrica ponderis ſenſus, poſt paſtum praecipue auctus, necnon tenſio dolorifica quae plurimis in exemplis ad hypochondrium dextrum refertur, haec ſymptomata plerumque comitantur. Flatus, et in ventriculo acor, aegrum ſubinde moleſtiâ afficiunt. Nunc adſtricta, nunc fuſa eſt alvus; ſed neque illa, neque hæc morbum perpetuo ſtipant; ſaepius autem conſtipatio adeſt. Horrores vehementes, per horam circiter perſtantes, ſaepe ſaepiuſque in die nonnunquam invadunt. Dolor, ut in hepatitide, ſummum humeri dextri plerumque corripit; et ſingultus, aliquando frequens, aegroto haud raro multum moleſtiae affert.

Cum per aliquot dies manſerit morbus, oculorum tunica albuginea, cutis et ungues flaveſcunt. Tunc temporis, urina ſedimentum craſſum deponit, colorem obſcurè rubrum aſſumit, et linteum immiſſum croceo tingit. Stercori nec color naturalis manet, neque odor

dor fœtidus. Cutis nunc praeter ſolitum fit arida; et pruritus valde moleſtus, nullâ autem eruptione factâ, aegrum magnopere infeſtat. Os amaritie imbuitur, ita ut cibus omnis etiam inſulſus, et potus quoque ſaporem amarum praebent. Praeter haec, quidam auctores, et illi haud parvi nominis, viſionem flavam nonnunquam icteri ſymptoma eſſe, affirmant *.

Progrediente morbo, hypochondrii dolor et ventriculi multum torquet; pulſus crebrior validiorque evadit; alia quoque pyrexiae ſigna interdum ſuccedunt; et violentiſſimè vomit ſingultitque aeger.

Color nimirum altior fit, altiuſque per totum corpus

* Quod ad hoc vero ſpectat, dubia quaedam moverit noſter doctiſſimus GREGORY: in ſuis enim praelectionibus dicit, ſe multos vidiſſe qui de tali viſus pravitate queraebantur, non autem ulli niſi mulieri uni eam contigiſſe cenſet; et illi parum fiſus eſt.

corpus insidet: non modo partes externas, at cerebrum et medullam spinalem, atque ossa etiam ipsa flavedine tingit. Sanguis detractus, serum luteum ostendit; et omnes secretiones, lacte tantum excepto, croceo tinctu afficiuntur.

Icterus rarissime cursum determinatum tenet, sed nunc longiore, nunc breviore, temporis spatio solvitur.

Cum autem inveterascit, symptomata graviora invadunt. Febris ardens etiam cum delirio; in capite dolor pungens atque acutus; maxima respirandi difficultas; diarrhoea putrida, sudorque olidus, subsequuntur. Nunc totum corpus in nigellum evadit; crura fiunt oedematosa; magis magisque maceratur aegrotus, et vires admodum labuntur: Natura tandem exhausta, et superveniente hydrope, apoplexiâ interdum, atque forsitan haemorrhagiâ, oneri gradatim succumbit.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Quum diagnosis methodum medendi ad dirigendum utilissima sit, summa itaque cura ad morbos accurate internoscendos semper adhiberi debet.

Icterus ab historia modo tradita, ab aliis fere morbis distingui potest: Quidem tamen ei similes quodammodo esse videntur; isti sunt, *Dyspepsia*, *Chlorosis*, *Serpentium Morsus*, et *Febris Occidentalis Flava*.

De his quoque, ordine pauca dicere in animo est.

Dyspepsia.—Symptomata jam recensita, icterum, ut nobis videtur, a Dyspepsia satis distinguunt: Quum autem indicia ista clariora, haud tam planè sese ostendunt, difficile forsitan erit, nomen malo imponere. Attamen collatis utriusque historiis, symptomata plurima et huic et illi communia esse videmus;

ideoque

ideoque notis propriis eos diſcriminare neceſſe erit.

Superveniente ictero, aeger de ſomnolentia, pigritie, ſitique urgente, ut plurimum quaeritur; ad epigaſtrium dolor acutiſſimus atque pungens eſt, in dextrum hypochondrium quodammodo tendit, ibique fere ſemper prorſus permanet.

Contra vero dyſpepſiâ correpti, dolorem primò habent obtuſiorem, et diſtentionem vel ponderis ſenſum referentem, quae totam ventriculi regionem occupat.

Dolor etiam ad humeri dextri ſummum, qui ictericos aliquando, dyſpepticos nunquam afficit, diſcrimen quodammodo facere poteſt.

Animus dyſpepticorum timidus dejicitur, malumque ſemper metuit; et ventriculus plerumque debilitatur, quae ſymptomata rariſſime in ictericis occurrunt.

Flavedo cutis, et faecium albedo, diagnoſin optimam praebent: et hiſce, modum vivendi, conſuetudinem, multaque alia addere poſſumus,

quae

quae his morbis ab invicem ſecernendis maxime conferunt.

Chloroſis.—Ab hoc morbo, notis ſequentibus diſcernitur icterus, nempe; colore cutis pallido, potius quam flavo; dolore minime Epigaſtricam regionem, ſed dorſum praecipue corripiente: Appetitu ſemper voraci; atque poſtremo, chloroſi laborantium faeces et urina coloris naturalis ſemper ſeſe oſtendunt.

Serpentium morſus.—Partes vulneratas ab initio tantum afficit: atque color flavidus a vulneris margine incipiens, inde ſenſim ad reliquas corporis partes diffunditur: et quoniam caetera icteri indicia deſunt, haud difficile erit inter flavedinem a morſu ſerpentium ortam et morbo arquato dignoſcere.

Febris Indiae occidentalis flava.—Febrem Indiae occidentalis flavam inter et icterum dignoſcere poſtremò pergimus.

In hoc morbo, pyrexia omnia alia ſymptomata praegreditur. In ictero autem, haec, niſi hepatitide (ut aliquando fieri dicitur) originem duxerit,

erit, per totum morbi decurſum ſaepè abeſt, et rariſſimè initio ſe oſtendit.

Haec febris in regionibus calidis, perrarus vero frigidioribus, invaleſcit, et interdum epidemicè graſſatur; plerumque diarrhoea et ſudor olidus comitantur, dum oculi vultuſque nimirum rubeſcunt. Icterus autem contra, nunquam in populum tendit; et eo correptis, oculorum adnata mirifice flaveſcunt, dum cutis arida, alvuſque conſtipata fit.

CAUSAE REMOTAE.

Inter has plures atque variae enumerantur res; quo igitur certior fiat earum operum notio, ſatius eſſe duxi, eas in duplicem ordinem dividere, nempe omnia, 1mo, Quae ſecretionem bilis adauctam inducunt: et, 2do, Quaecunque curſum ejus verſus duodenum impediunt.

In claſſi prima comprehenduntur, *Emetica violentiora*, vel *Cathartica draſtica*, ſaepius repetita.

repetita, atque, ſecundum nonnullos, *animi affectus vehementiores.*

Hiſce igitur attentionem adhibebimus, et de ſingulis in ordine tractabimus.

Emetica violentiora. Tam mirus eſt conſenſus inter hepar et ventriculum, ut vomitu violentiſſime excitato, et bilis ſecretio praeter naturam augeſcitur, et ductus biliferi emulguntur. Quomodo haec fiunt neminem latet. Inter vomendum enim valde afficitur jecur, tum ob propinquitatem ad ventriculum, tum propter diaphragmatis et muſculorum abdominis contractiones violentes, quibus viſcera omnia abdominalia quam maximè concutiuntur: Hiſce motibus et ductus biliferi, et veſica etiam fellea deplentur. Bilis ſic quantitate nimium auctus, per duodenum ad inteſtina deſcendit, ubi faecibus alvinis commiſcetur et vaſis lymphaticis abſorbetur; quo fit, ut cum ſanguine per totum tranſeuns, ſuperficiem colore luteo facile tingat.

Cathartica drastica.—Haec sine dubio icteri causam sese aliquando praebuerunt: et modo haud emeticis dissimilè agunt.

Animi affectus vehementiores.—Ob consensum inter hepar obtinentem et totum genus nervosum, (et praecipuè cerebrum,) istae affectiones bilis secretionem quam maximè gignere existimatae fuerunt.

Hanc sententiam quodammodo confirmant illa phenomena, quae post cerebri concussiones et cranii fracturas haud raro observantur. "Si "cerebrum (dicit clar. Celsus) membranave e-"jus vulnus accepit, sanguis per nares, quibus-"dam etiam per aures exit; fereque vomitus "exsequitur."

Nonnulli attamen opinati sunt affectiones violentiores, et presertim iram, hunc morbum producere, aut totum corpus valde concutiendo, aut spasmum ductus communis inferendo.

Classis secunda omnia complectitur quaecunque cursum bilis versus duodenum impediunt. Hujusmodi genus sunt ductuum spasmi illorum

ostia

oſtia circumgentes; tunicarum ductuum prope duodenum craſſities; hydatides; concretiones biliariae; meconium; bilis nimis ſpiſſa; graviditas; Tophi, vel alia corpora extranea duodenum oppilantes; hepar, vel pancreas, vel alia viſcera adjacentia, ſchirro correpta, quo ductus comprimuntur, et bilis omnino fere curſus tardatur.

Ad has cauſas, igitur, pauliſper attendamus, et quam breviſſime earum naturam explicare conemur.

Ductuum Spaſmi. Num conſtrictio ductuum ſpaſtica unquam obtinet necne, diu acriterque inter medicos diſputandum fuit. Noſtris autem diebus minime ni fallor negandum erit, ſpaſmum pro cauſa vera nonnunquam habendum eſſe. Interea, parum erit dubitandum, talem duodeni conſtrictionem juxta ductus communis orificium bilem deſcendentem impedituram eſſe. Ductu hac igitur occluſo, neminem latet icterum malum enaſci poſſe.

Ductuum Tunicarum Craſſities. Hocce vitium

rariſſime

rariſſime ſi unquam occurrit. Quandocunque autem accidit, ab inflammatione antegreſſa exoritur, et effectus ejus edit, ductus aut nimium comprimendo, aut delendo: quo pacto fit, ut bilis in canalem alimentarium deſcendere nequeat *.

Hydatides.—Hae inter cauſas icteri nonnunquam recenſentur: et hanc cauſam ſaepiſſimè adeſſe, multi medici praeclari docent; quamvis in morbi initio haud ſatis manifeſte hydatides ſe oſtendunt. Agunt ſine dubio, vel biliferos ductus implendo; vel in medio hepate cavum faciendo, in quem bilis ſecreta effunditur et vaſis lymphaticis abſorbetur.

Concretiones biliariae.—Cauſa morbi hujus longe eſt frequentiſſima calculi biliarii. In ductibus, ſaepiſſimè autem in veſica fellea inveniuntur. Varietates plurimas habent. Quod ad colorem

* Morgagni affirmat ductum communem ad capillarem anguſtiam redactum, vel chordae inſtar ſolidae arctatum, icteri interdum eſſe cauſam.

lorem pertinet, nonnulli flavi, virides alii, albescentes et nigri. Tum colore tum etiam variantur figurâ; alii globosi, alii oblongi, aliique angulares sunt. Gustui sunt amari, atque divisis, corticem, etiamque lamellas circa nucleum circumjectas plerumque ostendunt: atque hae lamellae ex cystallis minutis a centro ad superficiem vergentibus constant. De eorum autem ortu, nihil pro certo tradere possumus. Nonnunquam multi, atque parvi reperiuntur, saepius vero unicus totam vesicam felleam implens *. Apparet igitur complures concretiones morbo de quo agitur nonnunquam esse causam, nonnunquam etiam unicam tantum.

Quando hae concretiones vel in vesica fellea, vel ductibus sitae sint, satis novimus, bilis cursui impedire, et morbum arquatum deinceps inducere posse.

Meconium.

* Calculi biliarii, secundum nos. Prof. Monro, saepè in vesica fellea ex cadaverum incisionibus inveniuntur, nullo homini viventi incommodo inde oriente.

Meconium. Notum eſt, brevi ſpatio, plerumque paucis tantum diebus, poſt partum, infantes nonnunquam ictero corripi: qui tamen adeo ſaepiſſime levis eſt, ut vix unquam colore luteo tingat. Oritur, ut videtur, ex meconio copioſiore in duodeno retento, bilis deſcenſum impediente: et experientia docet, ut meconio purgato, omnia mala exinde provenientia omnino ſanantur.

Bilis nimis ſpiſſa. Bilis aliquando diu in veſica fellea manens, adeo fit viſcida, ut pene ductuum oſcula obturat. Hujuſmodi exempla in commentariis ſuis citavit clariſſimus Van Swieten. " Quandoque (dicit) vidi bilem inſtar glutinis " cohaerentem, vomitu redditam fuiſſe, nun- " quam poſtea redeunte ictero."

Icterus ab hoc bilis vitio proficiſcens, illos vitam otioſam agentes, ſtudioſos, atque incarceratos plerumque afficit: quomodo hi morbo procliviores eſſent, omnibus facilè apparet.

Graviditas. Quibuſdam faeminis uterum gerentibus, icterus haud raro contingit; etiamſi

nec

nec ante graviditatem, nec poſt puerperium hoc morbo afficerentur.

Hujus phenomeni hanc rationem reddamus. Uterus jam gravidus, omnia viſcera abdominalia non modo comprimat, ſed etiam miro modo a ſitu detrudit: ea compreſſa atque detruſa ductus biliferos occludunt; alvo praeterea conſtrictâ, colon inteſtinum faecibus durioribus fit diſtentum, ita ut bilis quo debet, profluere nequeat. Ratio igitur patet, cur icterus illis uterum gerentibus interdum ſuperveniat, et quamvis nulla remedia ſint exhibita, foetu ejecto, ſponte evaneſcat morbus.

Tophi, vel alia corpora extranea, duodenum oppilantes.

Hujuſmodi exempla tum in hominum tum quadrupedum inteſtinis interdum inveniuntur; et planè manifeſtat, quando aegagropilae vel calculi, vel alia corpora extranea duodenum infarciunt, ductus biliferos comprimendo, fellis fluxui libero penè vel penitus obſtent.

Viſcus Schirro correptum.—Hic morbus haud

raro

raro a tumoribus certis oritur, quae a cadaverum ſectionibus in hepate ceteriſque viſceribus obſervantur.

Facillime erit intellectu, quomodo ſchirrus aut jecoris ipſius, aut pancreatis *, aliorumque viſcerum adjacentium, hunc morbum producat.— Nam ſi hujuſmodi tumores ita ſiti ſint, ut vel ductum communem vel hepaticum comprimant, tunc bilis colari non poteſt, et icterus e neceſſario oritur.

Cuivis obſtaculo igitur bilem in inteſtina deſcendentem impedienti maximâ ex parte tribuendus eſt icterus.

CAUSA PROXIMA.

Omnes ni fallor medici conveniunt icterum pro cauſa proxima habere, bilem per totum corpus cum

* Monro illuſt. pancreas ſervatum tumefactum, auditoribus ſuis quotannis oſtendit, quod hujus vitii in cauſa biennium erat.

cum ſanguine diffuſam, omnia hujus morbi indicia praebentem.

Inter doctos autem magna quondam exſtitit controverſia, quomodo tantum bilis cum ſanguine miſceatur? Noſtris autem temporibus de hac re, unica ſolummodo opinio extat*.

PROGNOSIS.

Tametsi hic morbus nequaquam valde lethalis conſentiatur, prognoſis attamen ſemper eſt incerta.

Ad verum eventus icteri praeſagium formandum cauſas remotas perpendere neceſſarium erit.

Si pro cauſa habeatur laeſio organica, morbi ſolutionem fauſtam vix expectare poſſumus. Sed pleriſque exemplis, ubi ſpaſmo, vel graviditate,

* Hoc manifeſte patet ab experimentis claro Monro inſtitutis.

te, vel aliis certis caufis jam memoratis exoritur, feliciorem fperare exitum licebit. Nihilominus, fecundum aetatem aegroti virefque, et morbos varios concomitantes, et praecipue violentiam atque durationem caufarum, periculum nonnunquam erit exiftimandum.

Ad ultimam, nequaquam vero parvulam hujus differtationis partem, nunc animum advertamus: fi enim ratio medendi non apte conftituta fit, omnia quae fupra diximus prorfus ut inutilia atque inania erunt.

METHODUS MEDENDI.

INDICATIONES quae ad morbum removendum maxime accomodantur, funt,

1*mo*, Caufas remotas quam primum amovere: et,

2*do*, Symptomata moleftiffima levare.

Ad primam igitur indicationem perficiundum conemur.

Si morbus, ut antea diximus, caufam fuam

agnofcit

agnoſcit ſchirrum vel hepatis ipſius, vel pancreatis, aliorumve viſcerum adjacentium, eſt cur metuamus, omnes conatus medicos, quamvis aptiſſimos, nil valere.

Auxilia tamen ſunt varia, quae hiſce affectionibus accomodata eſſe cenſentur: hujuſmodi princeps eſt hydrargyrum, quod medici, remedium efficaciſſimum adverſus ſchirrum, ſive hepar, ſive aliam quamcunque partem, obtinentem, teſtantur.

Multas laudes tartari cryſtallis cumulavit noſter doctiſſimus Home, quae ad ſchirros ſolvendos plurimum poſſunt.

Cicuta quidem diu laudibus elatum fuit maximis; hodiernis autem temporibus medici tantas huic remedio laudes neutiquam tribuerunt.

Jamjam memoravimus, Cauſam icteri frequentiſſimam eſſe calculos. Ad horum ſolutionem efficiendam, diu atque fruſtra laboraverunt medici; quare res votis haud reſponderunt, nequaquam latebit, ſi modo reputemus, quod, antequam ea remedia ſolventia dicta ad calculos ipſos

ſos devenerint, per totum ſanguinis circuitum tranſire neceſſarium, ideoque multis mutationibus obnoxia eſſe; et hoc modo effectus eorum valde dubios reddi: Nam difficile eſt intellectu, quomodo medicamenta poſt totum corpus tranſiſſent, ita in calculos agere poſſunt, ut eos diſſolvere valeant, eodem quo extra corpus rata fuerunt modo.

Si unquam haec remedia aliquod boni afferunt, quà cathartica ut nobis videtur, agunt.

Attamen Beddoes medicus expertus, nuper de vi ſolventi ſodae in opuſculo, jamjam a ſe edito, mentionem fecit. " I can adduce ſome proofs " of the utility of ſoda pills in relieving biliary " concretions, in two caſes; in both of which, " the patients were far advanced in years. In " the firſt inſtance, the diſeaſe had exiſted up- " wards of fifteen years, and returned pretty re- " gularly, at intervals of ſix or eight weeks, and " ſometimes oftener; the paroxyſms occurred " with violent pain, which uſually laſted many " hours; the ſkin became deeply tinged with

" yellow,

" yellow, and after a day or two, a ſlight diar-
" rhœa ſeemed to relieve her. With ſome dif-
" ficulty I perſuaded her to try the remedy;
" which was made into pills, with ſoap, and a few
" drops of oleum nucis moſchatae were added.
" Upwards of three years have now elapſed ſince
" ſhe had any return of the ſymptoms.

" The other lady had ſuffered extremely from
" ſucceſſive ſimilar attacks, and was relieved a-
" bout eighteen months ago by the ſame reme-
" dy, but is under the neceſſity of a regular per-
" ſeverance in the uſe of it *."

Inter remedia quae vi calculos eliminandi praedita ſunt †, emetica atque purgantia aptiſſima videntur. Supra diximus haec medicamenta ſuos effectus, ductus emulgendo biliferos, edere.

Fotus

* Vide Obſervations on the Nature and Cure of Calculus, auctore T. Beddoes, pag. 35.

" † I have more reaſon to be ſatisfied of the effect of vo-
" mits in diſlodging theſe calculi than any other, or indeed of
" all other medicines." Vide Treatiſe on Biliary Concretions, auctore Dr Cox, ch. 2. pag. 253.

Fotus quoque, et quodcunque ad partes laxandas valent, eundum effectum edere possunt.

Spasmus se causam ictero haud raro praebet; et quando adest, antispasmodica et internè et externè adhiberi debent.

Inter medicamenta antispasmodica dicta, interne, opium praecipue, et clysmata emollientia prosunt; atque externe, fotus hypochondrii dextri, balneum calidum et epispastica in auxilium vocanda sunt.

Faeces fortasse in intestinis induratae interdum ductus arctando, bilem stagnare faciunt. Quum hac a causa provenit icterus, eodemque tempore bilis omnino in intestinis deficit, cathartica drastica feliciter praescribenda sunt.

In ictero vel gravidarum, vel infantium, sola prodest patientia, et nihil, nisi promoveatur motus intestinorum peristalticus, necessarium videtur.

Quando morbus arquatus a causis oritur quibuslibet, quae bilis secretionem, et fluxum in intestina praeter naturam augent, causa per se plerumque

plerumque recedente, gradatim ipſe quoque recedet.

Quum autem res aliter ſe habent, fellis fluxum quam maxime compeſcere nitendum eſt.

Hoc, ad alias partes derivando, (nempe ad ſuperficiem vel renes,) effici poteſt.

Emetica, draſtica, et omnia quaecunque ſanguinis circuitum ſolito majore excitant, ſunt fugienda, et laxantia leniſſima cautè exhibeantur.

Jam reſtat, ut indicationem ſecundam, viz. ſymptomata moleſtiſſima levare, ad conſequendum conemur.

Si dolor hypochondrii dextri valde torqueat, et ſi eodem tempore pyrexiae ſigna nonnulla adſint, ſanguinem detrahere, et aegrum regimini antephlogiſtico ſubjicere neceſſe erit. Sin autem haec remedia levamen haud afferunt, praecipue juvabunt opii doſes ampli, balneum tepidum, enemata emollientia, hypochondrii fotus, atque forſitan huic regioni epiſpaſtica applicata.

Cutis pruritui, ſymptomati nonnunquam moleſto, aptiſſime quoque prodeſt opium, praeſertim

tim vero ſi huic adjungantur, fomentationes, et medicamenta diaphoretica dicta.

Eidem plerumque remedio cedit vomitus: hoc autem incommodo adhuc ſaeviente, hauſtus ſalini, inter effervefcendum adminiſtrati, multum levaminis afferunt.

Cum ſingultus adeſt, atque aegroto multum moleſtiae affert, opium cum fructu exhiberi poteſt.

Alvum conſtipatam facilè ſolvent cathartica mitia: quum vero haec ob caeteris indiciis minus ſunt idonea, clyſmata emollientia perutilia ſunt.

Si omnia haec remedia parum profuerent, ad equitationem aut ullum aliud exercitationis genus confugiendum eſt. Haec enim cautione minore admittenda, atque non minore beneficio; ſin autem ſanguinis curſum nimis acceleret, vel ſymptomata graviora reddat, aeger ab ea prorſus abſtineat, et alias auxilium petat, oportet.

F I N I S.